

amplexum, quo cum uxore ille corpus miscuit, eamque ob rem, aiunt, partum mulieris esse per Dei sententiam doloribus factum obnoxium: neque aliud voluisse illud præceptum, ne edatis de illa arbore, quam ne coeatis, sed sancte, et absque venere vivatis. » Cujus delirii auctorem fuisse Origenem affirmat Anastasius Sinaita lib. ix in *Hexameron*, his verbis: « Nefandorum autem effectus, sicut obscenorum perpetrator Origenes existimavit eam arborem esse mulierem. » Falsitatem autem hujus opinionis demonstrat communis sanctorum Patrum et catholicorum doctorum sensus, qui omnes, teste Barcepha, l. c., et Tostato in cap. iv *Genes.*, quæst. 2, asserunt expresse, quod primi parentes in paradiso virgines manserunt, et de paradiso virgines exierunt, per quod apparet etiam falsitas eorum Hebræorum, qui apud Tostatam, loc. cit., dicunt quod Cain et Abel in paradiso geniti sunt, asserentes quod, formata muliere, et adducta Adam, immediate cognovit eam carnaliter, alioquin fuissent transgressores præcepti sibi statim dati immediate post suam creationem *Genesis* cap. 1, 28, ibi: *Crescite, et multiplicamini.*

(48. Quod autem Cain et Abel geniti fuerint extra paradysum terrestrem, habetur expresse ex revelatione facta S. Methodio (114) martyri, quem multum sequitur magister scholasticarum historiarum: ipse enim, ut refert Tostatus, loc. cit., quæst. 2, dum esset in carcere, oravit, et petiit a Deo ut aliqua ei de principio et fine mundi revelaret, quod sic factum est, ut ipsemet scribit; et ait, nempe, quod primi parentes virgines de paradiso egressi sunt, deinde anno quintodecimo vitæ Adæ natus est Cain et soror ejus Calmana; et forte tanto tempore a copula vacaverunt, quia erant dolentes de peccato, quod contra Deum egerant, et de amissione felicitatis vitæ in Paradiso pro se et tota posteritate. Deinde a Deo mandatum habuerunt de procreatione liberorum post alios quindecim annos, quo scilicet trigesimo anno vitæ Adæ natus fuit Abel, et soror ejus Delhora. Hæc ille. Alii autem, inter quos doctissimus Calmet in *Dictionario sacrae Scripturae*, tom. I, verb. *Abel et Cain*, volunt probabilius, Cainum primogenitum Adæ, natum fuisse anno primo mundi, et Abelem anno secundo.

(49. Eva quolibet partu geminos pariebat, ut dicunt Judæi, masculum et feminam, et postea illi duo erant vir et uxor; Tostatus in *Genes.*, cap. iv; quæst. 10. Cain editus est cum sorore sua appellata Calmana, sive ut aliis placet Azura, seu Azurum: Calmet, loc. cit., verb. *Cain*; Tostatus, loc. cit., quæst. 2, et Abel cum gemella sorore sua vocata Delhora, seu ut dicunt alii, Auvinan,

(114) In *Dissertat. historica de S. Methodio* inserta libro ven. card. Roberti Bellarmini *De scriptoribus ecclesiasticis*, edit. Ven., ann. 1728, pag. 59, hæc leguntur: « In *Bibliothecis veterum Patrum* extant Latine duntaxat eidem (S. Methodio) falso tributa *Revelationes* de rebus, quæ ab initio mundi

seu Decla, vel Edocta. Calmet, loc. cit., verb. *Abel*; Tostatus loc. cit., quæst. 2. De his autem nihil ex sacra Scriptura, ex qua expresse solum habetur, quod Adam et Eva tres genuerunt filios, nempe Cainum, Abelem et Seth. *Genes.*, cap. iv, v. 1, 5, 6, et postquam genuerunt Seth, habuerunt adhuc filios et filias. *Genes.* v, 7, ibi: *Et facti sunt dies Adam, postquam genuit Seth, octingenti anni, genuitque filios et filias.* Et ut quidam dicunt apud Tostatam in cap. v *Genes.*, q. 5, fuerunt triginta filii, et totidem filiae, quorum nomina non exprimuntur. Eruditissimus autem Clericatus in suis *Spiciis* vulgari idiomate scriptis, verb. *Eva*, habet, quod apud antiquos scriptores relatus a Patre Menochio centuria 1, cap. 74, duæ fuerunt valde contrariæ opiniones: una quod Adam et Eva genuerint duntaxat quatuordecim filios, duodecim masculos, et duas feminas, quarum prima fuit uxor Cain, et secunda uxor Seth, cum ejus geminus frater Abel fuerit a Cain occisus. Altera, quod Eva pepererit inter masculos et feminas plusquam duo mille filios: siquidem ipsa vixit nongentis, et quadraginta annis, et secundum traditiones hebraicas, ipsa pariebat quolibet anno duos geminos filios, masculum et feminam, et sæpe sæpius etiam tres. Rejectis tamen ipsis duabus opinionibus, prima tanquam nimis restricta, et secunda tanquam nimis ampla, tertiam suam adducit concludens quod Eva inter masculos et feminas genuerit circa trecentum filios.

(50. Nec etiam sequenda est opinio eorum qui censuerunt arborem illam fuisse frumentum, atque ideo Christum quoque suum corpus in pane dedisse, ut, qua re contractum esset debitum, eadem et exsolveretur; nec etiam sequenda alia aliorum volentium, arborem illam fuisse vitem, et idcirco sanguinem suum dedisse Christum in vino pro expianda primorum parentum noxa: frumentum enim seges, non arbor dicitur, ut neque vitis, recte ait Barcepha, loc. cit., et Frassen, cit. conclus. 1.

(51. Neque vera videtur sententia aliorum volentium arborem illam fuisse ficum, eo quod Adam et Eva statim ab ejus esu nudos se agnoscentes, ex foliis ficus, tanquam arboris sibi præ aliis vicinioris ad tegendam suam nuditatem vestem sibi consuerunt, ut habetur *Genes.* iii, 7, ibi: *Cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata*; quæ sententia, licet non contemnenda, utpote defensa a S. Athanasio, Theodoro, Gennadio, Mose Barcepha et aliis apud Frassen, cit. conclus. 1, tamen improbat a Tostato in cap. xiii *Genes.*, quæst. 164, hac convincenti ratione: quia statim ac comederunt fructum illius, dolore ac pudore penitus suffusi, cognove-

contigerunt... Documenta, quæ Methodio in carcere existenti ab angelo præsertim circa mundi creationem revelata finguntur, edita fuerunt Basileæ 1498, cum additionibus Wolfgangi Aytingeri, et Sebastiani Brandseu Titonis Argentinensis. »

runt se ob id maxima bona amisisse, et maxima mala incurrisse, unde summo horrore et odio concepto erga illam arborem, ex qua tantum exitium sibi obvenerat, sic ab ea corde, animo et pede recesserunt, ut nec manum ad folia ejus extendere auderent, ne majus adhuc aliquod damnum ex ea in se attraherent, cum præsertim Eva serpenti responderit *Genes.* iii, 3: *De fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis ne comederemus, et ne tangeremus illud, ne forte moriamur.* Hinc concludit Tostatus: « Certum est, quod non auderent jam post peccatum tangere illam arborem, ne majus malum inde eis accideret; ergo cum acceperint folia ficus, certum est quod arbor ficus non erat lignum scientiæ boni et mali. »

(52. Adam et Eva e paradiso ejecti, probabilius eam regionem, quæ nunc Judæa et Palæstina dicitur, incoluerunt. Sic ex vetustissima Hebræorum traditione affirmat S. Basilius in cap. v *Ezechielis*, expresse dicens: « Obtinuit fama quædam in Ecclesia memoriam conservans, non scripto proditam, quæ et talis est, quod prima utique Judæa hominem habebat incolam, nimirum Adam, simul atque excidit deliciis paradisi in hac terra collocatum ad mitigandam jaceturam bonorum, quibus fuerat exutus. » Idem sentit Rupertus, lib. iii, cap. 31, et ex eo Tostatus, et uterque ex S. Hieronymo, contententes Adamum in Judæa commoratum fuisse, ibique sepultum, ut refert et sequitur Frassen, loc. cit., q. 2, conclus. 2, et plures alii id deducentes ex variis conjecturis, et præsertim quod ibi penitentiæ agenda causa habitavit Adam et Eva, ubi et penitentes mortui sunt, ac sepulti, mortuos autem esse in Judæa et Palæstina demonstrat vetus Hebræorum traditio, et SS. Patres, ex quibus eruitur sequens conclusio, nempe:

(53. Adam in monte Calvario, a Cranio, seu Calvaria ipsius ita nominato probabilius tumulatus fuit: sic fere communis sanctorum Patrum traditio; teste Tirino in cap. v. v. 1 *Isaiæ*, et ita præ cæteris sentit Tertullianus in carmine contra Marcionem, ubi sic habet: \* Neque carmen contra Marcionem factum est Tertulliani, neque sermo *De resurrectione Christi* S. Cyprianum habet auctorem. \*\* Indicatus quoque S. Augustini serm. 71 *De tempore*, a Maurini editoribus in *Appendicem* ad sermones S. Augustini rejectus fuit, in qua est sexto numero, legiturque col. 13 et seqq., Ven. edit., anni 1731, ac præterea col. 14, not. d, monemur ab editoribus, periocham illam de Adami sepultura in Calvaria loco in mss. non haberi \*:

*Golgotha locus est capitis, Calvaria quondam Lingua paterna prior sic illum nomine dicit: Hic hominem primum suscepimus esse sepultum. Hic patitur Christus, pio sanguine terra madescit, Pulvis Adæ ut veteris possit cum sanguine Christi Commistis stillantis aquæ virtute lavari.*

Ipsi subscripserunt, S. Cyprianus sermone *De resurrectione Christi*: « Nos, inquit, ad

Christum pertinentes, cujus sanguine conspersa creditur Adami Calvaria, qui sub loco ubi crux Domini fixa est, humatus traditur ab antiquis; » Origenes *tractatu* 35 in *Matthæum*: « Venit ad me traditio quædam, quod corpus Adæ primi hominis sepultum est, ubi crucifixus est Christus, ut sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificentur; ut in loco illo, qui dicitur Calvaria locus, id est locus capitis, caput humani generis resurrectionem Domini Salvatoris, qui ibi passus est, » etc. S. Chrysostomus, hom. 24, in cap. xix *Joannis*: « Exiit in eum, qui dicitur Calvaria locus, ubi quidam dicunt Adam et mortuum, et sepultum esse, et Jesum, ubi mors dominata est, ibidem tropæum erexisse per crucem, quam tulit contra mortis tyrannidem; » S. Augustinus, serm. 71 *De tempore*: « Etiam hoc antiquorum relatione refertur, quod et Adam primus homo in ipso loco, ubi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus, et ideo Calvaria locum dictum esse, quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum. Et vere, fratres, non incongrue creditur, quia ibi erectus sit medicus, ubi jacebat ægrotus, et dignum erat, ut ubi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret divina misericordia: et sanguis ille pretiosus etiam corporaliter, dum dignatur pulverem antiqui peccatoris stillando contingere, redemisse credatur. » Imo et Hieronymus ipse, licet aliter sentire videatur in *Epitaphio S. Paulæ*, tamen scribens nomine Paulæ et Eustochii ad sanctam Marcellam, epistola 17, ait: « In hac urbe, imo in hoc tum loco, et habitasse dicitur et mortuus Adam, unde et locus, in quo crucifixus est Dominus noster, Calvaria appellatur, scilicet quod ibi sit antiqui hominis Calvaria condita; ut secundi Adam, id est Christi, sanguis de cruce stillans, primi Adam, et jacentis protoplastis peccata dilueret. »

(54. Nec valet objicere illud *Josue* xiv, 15, ubi habetur: *Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe; Adam maximus inter Enacim ibi situs est.* Quod et in capite *Hebron*, 2, caus. 12, quæst. 2, ex S. Hieronymo, et in cap. *Unaqueque* 3, ead. caus. 13, et qu. 2, ex S. Augustino asseritur; et S. Hieronymus *Epitaphio S. Paulæ* expresse dicit: « Cariath Arbe idem est ac civitas virorum quatuor Abraham, Isaac, Jacob et Adam magni, quem ibi conditum, juxta librum Jesu Nave Hebræi autumant: licet plerique quartum putent Caleb, cujus latere memoria monstratur; » adeoque Adam in Hebron, et non in Calvario, seu Golgotha fuit tumulatus. Non valet, inquam, quia nomen Adam aliquando est nomen proprium illius primi hominis, et aliquando est nomen commune significans quemcumque hominem. Unde *Genes.* v, 2, dicitur: *masculum et feminam creavit eos, et benedixit illis, et vocavit nomen eorum Adam, et ubi nos *Psal.* iv, 3, dicitur: *Filii hominum, usquequo gravi corde?* in Hebræo dicitur *filius Adam*, et ita poterit accipi littera, ut dicat homo maximus, ubi nos dicimus Adam maximus, et tunc non in-*

telligitur de primo parente, seu de homine magnæ staturæ, idest de uno gigante, qui habitabat in Hebron, et erat pater aliorum gigantium, in quo sensu tenent multi Hebræorum apud Abulensem in cap. xiii *Genes.*, quæst. 138. In ipso igitur cap. xiv, v. 15 *Josue*, nomen *Adam* tribuitur cuidam homini, cui peculiare erat nomen *Arbe*, qui sicut legitur *ibidem*, cap. xv, v. 13, erat pater *Enac* gigantis, ibi: *Cariath Arbe patris Enac*. Cum autem *Arbe* fuerit statura major, vel dignitate præcellentiore suis filiis, qui cap. xiii *Numerorum* dicuntur monstra quædam de genere giganteo, ibi: *Vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo*: is *Arbe* merito dicitur maximus inter *Enacim*, et ipse est, qui fuit sepultus in Hebron, et non *Adam* primus parens, qui, ut dicebatur, probabiliter creditur tumulatus in Golgotha, seu Calvario, ut sensit etiam S. Hieronymus scribens ad Marcellam per adducta ejus verba supra, n. 53, quamvis in cit. *Epitaphio S. Paulæ*, et cap. *Hebron*, videatur sentire contrarium; et ut sensit etiam S. Augustinus, serm. 71, (vid. not. superiorem) *De tempore* per ejus verb. allata supra sub num. 53, quamvis pro contraria opinione citetur in cap. *Unaquæque* 3, caus. 13, qu. 2, ubi tamen non ex propria, sed aliorum opinione id asserit, ut patet ex præcis ejus verbis, ibi: « E contra *Adam* (ut asseritis) in civitate *Arbeæ* tumulatus est. »

(55. Non negaverim tamen, quod sit etiam satis probabile, quod in *Josue* cit. cap. xiv, v. 15, accipiatur *Adam maximus* pro primo parente, quem sacra Scriptura excellenter, vel appropriate vocavit solum *Adam*, qui est maximus, cum sit pater, et origo totius generis humani, et situs sit inter *Enacim*, id est sepultus in urbe Hebron in terra gigantum, ut vult Tostatus citatus in cit. cap. xiv *Josue* quæst. 10, asserens, quod iste sit verior, et communior sensus, quem fere omnes Catholici tenent: nam, ut prosequitur ipse, *Adam* vixisse perhibetur apud urbem Hebron, et ibi finivisse dies suos, ibique sepultum fuisse cum *Eva* conjugæ suæ, et ibi quoque formatum fuisse; sic quoque testantur etiam gentes, quæ nunc habitant apud urbem Hebron; et ab antiquo hujus testimonium est vallis quoque quædam apud urbem Hebron, quæ ab incolis vulgariter *Vallis lacrymarum* appellatur, eo quod *Adam* centum annis *Abel* filium suum occisum fleverit, quousque ab angelo admonitus est, ut cognosceret *Evam* uxorem suam. De hoc in libro de situ terræ sanctæ: de hoc etiam *Josephus* libro primo *Antiquitatum*; et quia in nullo alio loco tactum fuerat de sepulcro *Adæ*, voluit hic tangere Scriptura. Et concordat ista expositio valde superiori litteræ. Nam urbs Hebron vocata est *Cariath Arbe*, id est civitas quatuor virorum scilicet patriarcharum: de tribus eorum, scilicet *Abraham*, *Isaac* et *Jacob* constabat *Gen. xxxix*, quod ibi sepulti erant: de *Adam* autem nequaquam: ideo additum est hic de quarto viro, et dicitur quod iste est *Adam maximus*, id est protoplastes. Quidquid autem veritas

sit, constat, quod littera nostra intenderit istum sensum: nam si littera nostra intenderit pro aliquo homine, non posuisset nomen *Adam*, quod apud Latinos ponitur tanquam proprium: sed diceretur homo maximus ibi situs inter *Enacim*; et tamen posuit *Adam*, ideoque intellexit de illo primo, quem vocat *Adam*, et non hominem nomine Latino commutem. Sic totaliter ad litteram Tostatus, *loc. cit.*

(56. *Paradisus* est vox ex Hebræo *pardes* deducta: *Pardes* enim hebraice significat pomarium, aut viridarium, juxta illud *Canticor. iv*, *Emissiones tuæ paradisus* (Hebraice *pardes*) *malorum puniceorum*: ex qua voce Græci *παράδεισος*, et Latini *Paradisus* effecerunt; et Græci hanc vocem *paradisus* ab Orientalibus, et Persis sua pomaria, et viridaria, seu hortos, *paradisos* nuncupantibus, derivatam volunt; ac Septuaginta Interpretes etiam hac voce *παράδεισος* *Genes. ii*, 8, usi sunt ad viridarium *Eden*, id est hortum deliciarum significandum, ut notat *Calmet* in *Dictionario*, verb. *Paradisus*. Unde in hebræo *paradisus* non vocatur hortus absolute, et simpliciter, sed hortus deliciarum, scilicet *gæden*, quia *gan* significat hortum, et *eden* significat delicias, ut observat Tostatus in cap. xiii *Genes.*, quæst. 8. Hinc, subsequitur ipse *ibidem*, quia locus ille, quem Scriptura *Genes. ii* vocat *paradisum*, erat locus deliciarum plusquam esset alius in tota terra, factum est, ut vitam beatam in cælo, in qua sunt maximæ deliciæ, et omne bonum, vocemus *paradisum*.

(57. In quam parte mundi fuerit consitus *paradisus* terrestris, non satis constat, cum variæ fuerint et sint circa hoc scriptorum opiniones, quibus brevitate gratia relictis, dicimus, quod probabiliter *paradisus* terrestris consitus fuit in confinibus *Mesopotamiæ*, et *Arabiam orientalem*, parum longe a *Chaldæa* et *Syria Damascena*. Sic communior inter recentiores sententia, teste *Frasen tom. II Theolog.*, tr. 3, disput. 2, art. 1, q. 2, eamque pluribus probat *Sixtus Senensis*, lib. v *Bibliothecæ*, annotat. 34; *Cornelius a Lapide*, in c. ii *Genes.*; *Maldonatus in c. xxvii Matthæi*, vers. 44; *Genebrardus*, lib. i *Chronographiæ*; *Pererius*, lib. iii in *Gen.*, n. 122, et plures alii. Et hoc colligitur ex sac. Scriptura; *Genes.* enim ii, 8, ubi *Vulgata* nostra habet: *Plantaverat autem Deus paradisum voluptatis*; *Hebraica* dicit: « *Plantaverat Deus paradisum in Eden.* » *Eden* autem fuisse in finibus *Mesopotamiæ*, vel *Syriæ*, deducitur ex eadem sacra Scriptura *IV Regum xix*, 12, ubi habetur, quod *Eden* regio jungitur cum *Gosana*, et *Aram*, et *Resph*, quæ sunt in finibus *Mesopotamiæ*, vel *Syriæ*, ut tradunt fere cuncti scriptores, adeoque, cum *Moses* asserat, *paradisum* fuisse plantatum in *Eden*, stat clarum, quod in confinibus *Mesopotamiæ*, vel *Syriæ*, ubi est *Eden*, consitus fuerit *paradisus* terrestris.

(58. Tum quia ex cap. iv *Genes.*, 16, *egressusque Cain a facie Domini habitavit profugus in terram ad Orientalem plagam Eden*, id est

versus Orientem ultra *Mesopotamiæ Eden*, ubi erat *paradisus*, ut plures explicant cum *Genebrardo*, lib. ii *Chronographiæ*; *Frasen*, *loc. cit.*, conclus. 2; Tostatus in cap. iv *Genes.*, q. 9. Hinc *paradisum* terrestrum consitum esse in regione *Eden* sustinent plurimi Patres, tam Græci quam Latini, ac etiam plerique Hebræi apud *Malvendam Lib. de paradiso*, cap. 18, inter quos *Moses Barcephala*, lib. i, *De paradiso*, cap. 21, sic expresse habet: « *Diximus Eden* esse regionem spatiosam, amplam, antenam, variam; *paradisum* vero locum esse pulchrum, fructuosum, præstantibus, laudabilibusque arboribus, præ quibusvis aliis in tota *Eden* locis ornatum; *paradisum* enim ejus regionis, quæ *Eden* dicitur, partem esse inter alias omnium præstantissimam, laudabilissimam, atque cultoribus suis comodissimam. » Et *Eusebius*, ac S. *Hieronymus* in descriptione *Hebraicarum urbium* et regionum, sic aperte et clare concludunt: « *Eden* sacer paradisi locus ad Orientem, quod in voluptatem, deliciasque transfertur. »

(59. Quanta fuerit latitudo, et longitudo *paradisi* terrestris, incerta res est: certum est tamen, quod debuerit esse sufficientis latitudinis et longitudinis, ut capere posset homines, qui in ipso victuri erant, et ut ipsi homines per diversa loca vagarentur. Unde volunt aliqui, quod ambitus terrestris *paradisi* sit quasi centum leucarum, et longitudo quasi triginta leucarum, vel paulo plus, quia in circulo, vel rotundo ita se habet longitudo, quæ est diameter ad lineam circumferentialem. Sic refert *Abulensis in cap. ii Genes.*, quæst. 9, qui tamen *Genes.*, cap. xiii, qu. 98, sic habet: « *Quibus apparet quod paradisus* esset terra aliquantulum lata, tamen non multum: non enim videtur, quod oporteret habere majorem magnitudinem, quam habeat *Insula*, scilicet in latitudine tres, vel quatuor leucas, in circuitu autem duodecim, aut parum plus; » quamvis eruditissimus *Vincentius Fuga* in *Compendio notitiæ orbis sacri et profani*, in principio, de ipsius *Abulensis* opinione sic dicat: « *Circa Mesopotamiæ fines Dominus hunc hortum plantavit, latitudine, si Abulensi credimus, duodecim millia passuum, ambitu sex triginta millia.* » *Frasen* autem, *loc. cit.*, art. 2, quæst. 3, concl. 1, concludit, quod probabiliter est, *paradisum* terrestrum nec ita arctum, nec ita spatiosum fuisse, ut ad quindecim, aut viginti leucas excesserit: et colligit ex S. *August.*, lib. viii in *Genes.*, cap. 10, ubi ait: « *Neque enim exiguus locus erat paradisus, quem totus fons irrigabat:* » et ex *Mose Barcephala*, *Lib. de Paradiso*, c. 15 et 28, ubi habet: « *Paradisus dicebatur accommodatissimus ad habitationem, oblectationemque hominum; sed*

(115) Communior et probabilior nunc censetur opinio, quam defendit *Natalis Alexander* dissert. 11, in primam mundi ætatem art. 1, proposit. quæ est hujusmodi: « *Utrum paradisus terrestris etiamnum supersit, incertum: probabiliter est non exstare amplius quoad cultum et amœnitatem loci.* » De loco

quanta fuerit hujus amplitudo, satis arguit fluvius magnus, qui ex ipso effluebat, et postquam elapsus esset, dividebatur in quatuor flumina; si enim fluvius ipse magnus erat, manifestum est *paradisum*, quem irrigabat, magnum spatiosumque fuisse. »

(60. *Paradisus* terrestris adhuc subsistit; sic communior, et probabilior sanctorum Patrum, aliorumque doctorum opinio (115), inter quos præsertim S. *Epiphanius*, lib. v *Adversus hæreses*, cap. 5; S. *Augustinus*, lib. ii *De peccato originali*, cap. 23; *Tertullianus*, lib. *De anima*, cap. 53; *Sixtus Senensis*, *Delrius*, *Bellarminus*, *Gregorius a Valentia*, *Malvenda*, *Suarez*, et fere omnes tum veteres, tum recentiores, ut testatur sapientissimus *Tirinus in cap. v Genes.*, vers. 24, et fatentur apud ipsum *ibidem* etiam *Pererius*, *Viegas*, *Cornelius a Lapide*, *Salianus*, et alii adducti ab ipso in cap. ii *Genesis*, vers. 8, et colligitur ex cap. xlv, v. 16 *Ecclesiastici*, ubi expresse dicitur: *Henoch placuit Deo, et translatus est in paradisum, ut det gentibus penitentiam*: et ex *IV Regum*, ii, 1, ibi: *Factum est autem cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in cælum*, et 11, ibi: *Et ascendit Elias per turbinem in cælum*, id est aereum, et ex regione aeris mox translatus est in *paradisum* terrestrum, ut docent passim sacri interpretes, et præsertim doctissimus *Tirinus in IV Regum*, cap. ii, vers. 11, ubi dicit, quod *paradisum* adhuc exstare tenent præter jam citatos, etiam S. *Irenæus*, *Isidorus*, *Abulensis*, ac adhuc *Henoch* et *Eliam* exstare, et vivere in *paradiso* terrestri, ut in fine mundi contra errores, et falsitates *Antichristi* prædicent hominibus penitentiam, et eos in vera fide, et lege confirmet, tenet et testatur de communi eruditissimus *Clericatus nelle Spiche*, vulgari idiomate, raccolte, verb. *Elia et Henoch*, juxta illud cit. cap. xlv, v. 5 *Ecclesiastici* de *Henoch*, ibi: *ut det gentibus penitentiam*, et prædicationem *Malachiæ*, iv, 5; de *Elia*, ibi: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum*; ubi ad probationem existentiæ adhuc *paradisi* terrestris, et supervientiæ inibi *Henoch*, et *Eliæ* refert sequentem successum, qui ex ipso hic litteraliter ad uberiorem notitiam datur.

(61. *Grazioso* è quel successo del venerando Fra *Benedetto d' Arezzo*, uno dei primi religiosi e figliuoli spirituali del glorioso patriarca S. *Francesco d' Assisi*, che si legge nell' *Istoria cronologica dei Padri Francescani di Gerusalemme*, scritta dal Padre Fra *Giovanni da Calorra*, Minor Osservante della provincia di *Burgos* nel libro secondo, e da noi raccontata nella nostra

autem hanc n. 11 ejusdem articuli propositionem statuerat: « *Qua in regione consitus fuerit paradisus, obscura certe quæstio: probabilior eorum sententia, qui in Arabia Felice, vel Mesopotamia, aut circa *Babyloniam* in Mesopotamiæ limite collocatum fuisse censent.* »

prima età del mondo *Rag.* 13, p. 124 et 125. Il successo è questo. Essendo stato mandato esso Ven. Fra Benedetto d' Arezzo oltre il mare nell' Africa a predicare la santa fede a' Saraceni, ed a reggere diversi conventi ivi fondati di Frati del suo ordine, dopo avere faticato per molti anni con gran profitto dell' anime, e vantaggio della religione, risolse ritornare in Italia, per ritirarsi a vivere in una povera cella, ed attendere alla contemplazione dell' eterna vita. Ottenne da alcuni marinari, benchè infedeli, d' entrare nella loro nave, che stava per partire a momenti verso l' Italia, come da lì a poco si fece. Alla metà del viaggio insorse una tempesta così fiera, che facendo temere a quei mori il naufragio, per iscansarlo, cominciarono a gittare in mare tutte le mercanzie, che nella nave avevano; e fatti rabbiosi da tale sfortuna, essendo infedeli, presero anco il povero Frate Benedetto d' Arezzo, e lo gettarono, nel mare, benchè con poco loro profitto, perchè in gastigo della loro empietà, la nave si sommerse, e si annegarono tutti. Il ven. Fra Benedetto gettato nel mare, e caduto nell' acqua, fu subito preso per un braccio dal suo angelo custode, e sollevato in aria, fu portato nel paradiso terrestre, ove erano li due santi profeti Elia, ed Henoch. Questi restarono ammirati nel vedere un tale religioso, vestito così poveramente, con una sola tunica, e si aspra: gli andarono incontro, e lo salutarono, e gli richiesero, chi fosse? e come capitato in quel luogo? Fra Benedetto diede notizia ai medesimi della religione instituita da S. Francesco nella Chiesa cattolica, il suo passaggio, e dimora fatta nell' Africa, il suo ritorno intrapreso verso Italia, la tempesta insorta nel mare, in cui era stato gettato fuori della nave, a guisa d' un' altro Giona, dai Saraceni; e che dal suo Angelo cavato dall' onde, era stato portato in quel luogo, richiedendo anch' esso, chi loro fossero? risposero, che erano Elia, ed Henoch, quali stavano in quel luogo benedicendo il Signore, e lo condussero in diverse parti a vedere le delizie di quella abitazione. Mentre Fra Benedetto stava mirando, ed osservando quanto quei due Santi Vecchi gli dicevano, e mostravano, fu preso di nuovo nella braccia dall' angelo e con gran velocità portato per aria, fu collocato in Italia su la riva del mare, e porto d' Ancona. Nello stesso tempo giunsero nel medesimo porto alcun' altre navi, che viaggiavano di conserva con quella affondate: e sapendo i marinari, che in essa vi era Fra Benedetto, restarono stupiti vedendolo sul porto sano, e salvo mentre lo tenevano con tutti gli altri annegato. L' interrogarono in che modo avesse compito il viaggio? ed egli raccontò la mirabile provvidenza divina, e la custodia di lui tenuta dal suo angelo custode. Andò poi il venerando Fra Benedetto al più vicino convento de' suoi frati, ove fu ricevuto con somma carità, e gaudio di spirito, coll' avere intese le vicende del suo viaggio. Ma que' buoni Padri più solleciti della santità della

loro vita, che di scrivere le cose maravigliose vedute nel paradiso terrestre da Fra Benedetto, altro non notarono, che il successo, quali però ci serve d' attestato, che li profeti Henoch, ed Elia sono conservati in vita per tanti secoli dall' onnipotenza del signore in quel luogo felice, incognito a' mortali. »

(62. Nec valet obijcere illud *Genes.* vii, 19 et 20, ibi: *Opertique sunt omnes montes excelsi sub universo caelo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat*; adeoque paradisi terrestres aquis diluvii dissipatus est; sicque modo non amplius exstat. Non valet, inquam, quia in eodem cap. vii *Genes.* dicitur universos homines aquis diluvii interiisse, et remansisse solum Noe, et qui cum eo erant in arca, et tamen nemo admittit Henoch fuisse in arca reclusum, neque diluvii aquis periisse, adeoque sicut in hac universali positione, *aquis diluvii interierunt omnes homines praeter Noe, et qui cum eo erant in arca*, excipitur Henoch, ita excipitur paradisi terrestres locus ab universali terræ illuvione; tum quia valde probabile est, quod paradisi terrestres tempore diluvii servatus fuerit immunis, aquis undique ad latera sese attollentibus, et quasi in murum solidatis, ut contigit Israelitis in mari Rubro, *Exodi* xiv, 22, ibi: *Et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris; erat enim aqua quasi murus a dextra eorum, et leva*; ac pariter in Jordane, ut patet *Josue* iii et iv.

(63. Mundi tempora seu aetates, alii dividunt in sex, et alii in septem. In sex inter alios sic dividit sapientissimus Tirinus tom. I in *Chronico sacro*, cap. vii, ibi: « Prima aetas mundi coepit ab Adamo, et duravit usque ad finem diluvii annis 1656. Secunda coepit a fine diluvii, et duravit usque ad egressum Hebraeorum ex Aegypto, annis 887. Tertia coepit ab egressu Hebraeorum ex Aegypto, et duravit usque ad quartum annum regni Salomonis, quo condi ceptum fuit templum, annis 480. Quarta coepit a quinto anno regni Salomonis, seu secundo anno ab inchoato templo, et duravit usque ad destructum, et exustum idem templum, vel potius usque ad finem captivitatis Babylonicae, annis 452. Quinta coepit a relaxata captivitate Judaeorum, et initio monarchiae Persicae, et duravit usque ad Messiam adventum, seu incarnatum Filium Dei, annis 525. Sexta coepit a primo Christi adventu, durabitque usque ad secundum illius adventum, ad iudicium, et interitum universi, de quo die nemo scit. Septima non jam in mundo, sed in caelo inchoabitur aetas a die extremi iudicii duratura usque in perpetuas aeternitates. In septem autem aetates inter alios sic dividit eruditissimus Vincentius Fuga in *Compendio notitiae orbis sacri et profani*, in principio: Prima mundi aetas, seu ejus infantia coepit ab ejus exordio, et duravit usque ad universale diluvium, annis 1656. Secunda, seu pueritia coepit ab universali diluvio, et duravit usque ad ortum Abraham, annis 382. Tertia, seu adulescentia coepit ab

ortu Abraham, et duravit usque ad ortum Moysis, annis 425. Quarta, seu juvenus coepit ab ortu Moysis, et duravit usque ad Samuelis principatum, annis 476. Quinta, seu virilitas coepit a principatu Samuelis, et duravit usque ad Babylonicam captivitatis solutionem, annis 577. Sexta, seu senectus coepit a soluta captivitate, et duravit usque ad nativitatem Christi, annis 536. Septima, seu decrepitas coepit a Nativitate Christi, et durabit usque ad finem, seu interitum mundi.

(64. Quia tamen in calculandis, et numerandis annis ab orbe condito usque ad Christi Nativitatem effluxis, tot sunt fere sententiae, quot capita, adeo ut, teste sancto Hieronymo in *Epist. ad Titum*, cap. iii, « inter eos, qui ex hebraico fonte numerum deducunt annorum mundi, vix unus, vel alter reperiat, qui alteri in omnibus consentiat; » hinc celebriores opiniones de mundi aetate subjicimus, ut quisque seligat eam, quae magis ex illis sibi placuerit.

Celebriores opiniones de numero annorum, qui ab orbe condito ad aetatem Christi vulgarem fluxerunt, prout traduntur a doctissimo P. Fortunato a Brixia in *Philosophia sensuum mechanica*, tom. II, tr. 1, dissertat. 4, sect. 7, Epochae 2, sunt sequentes:

Secundum Vulgatam	3951
Secundum LXX interpretes	5200
Secundum Samaritanos	4305
Secundum Josephum Hebraeum	3970
Secundum Constantinopolitanos	5508
Secundum Antiochenos	5493
Secundum Alexandrinos	5501
Secundum Scaligerum	3950
Secundum Petavium	3983
Secundum Salianum	4054
Secundum Vossium	5598
Secundum Marianum Scotum	4193
Secundum Langium	4042
Secundum Calvisium	3950
Secundum Gerardum Mercatorem	3966
Secundum Spondanum, Torniellum, et Baronium	4852
Secundum Ricciolum	5634
Secundum Hebraeos vulg.	3761
Secundum Usserium, et Lancellotum	4004

Aetates mundi annos continent:

I.	
Secundum Vulgatam	1657
Secundum Josephum Hebr.	2256
Secundum Usserium	1356
Secundum Petavium	
II.	
Secundum Vulgatam	367
Secundum Josephum	1267
Secundum Usserium	426
Secundum Petavium	366
III.	
Secundum Vulgatam	430
Secundum Josephum	
Secundum Usserium	
Secundum Petavium	

IV.	
Secundum Vulgatam	480
Secundum Josephum	962
Secundum Usserium	480
Secundum Petavium	519

V.	
Secundum Vulgatam	487
Secundum Josephum	521
Secundum Usserium	476
Secundum Petavium	474

VI.	
Secundum Vulgatam	530
Secundum Josephum	534
Secundum Usserium	536
Secundum Petavium	538

(65. Ad uberiorem calculationis annorum et aetatum mundi cognitionem, advertendum est, quod apud chronologos et scriptores usus epochae seu aerae invaluit. Epochae autem juxta vim Graeci vocabuli inhibitionem, vel remoram significat; sunt enim epochae veluti puncta quaedam fixa, a quibus annorum series apud varias nationes numerari incipit, ut tradit eruditissimus Purchotius, *Institut. philosophic.*, part. II, sect. 2, cap. 9, epochae seu aerae insigniores. Unde epochae nomine intelligitur communiter a chronologis principium aliquod, insignis nimirum eventus, vel rerum, regnorumque notabilis mutatio, ex qua, veluti cardine anni deinceps numerantur. Aera quoque pro hujusmodi insignium rerum eventu, sicuti epocha usurpatur; cum enim Hispani annos numerare solerent « ab exordio regni Augusti, » idque in Calendariis suis per primas horum vocabulorum litteras A, E, R, A, scriberent, desumpto scilicet A a prima littera dicti vocabuli Ab; E a prima littera dicti vocabuli Exordio; R a prima littera dicti vocabuli Regni; et altera A a prima littera dicti vocabuli Augusti: hinc aerae nomen formatum perhibetur, et usus invaluit, ut id omne, ex quo annorum series inchoatur, aera deinceps diceretur, ut inter alios erudite notant Purchotius, l. c., vers. quarta est epocha seu aera Hispana, et Pater Fortunatus a Brixia, loc. cit., sect. 7, vers. Epochae nomine.

(66. Epochae distinguuntur in sacras, et profanas; sacrae dicuntur illae, quae ex documentis et Scripturis sacris eruuntur: profanae vero illae, quae ex documentis et historiis mere profanis repetuntur.

(67. Inter epochas sacras, praecipua a Christi nativitate desumitur: quamvis enim haec omnibus fere recentior sit, ipsa tamen, ut egregie advertit Petavius *Rat. tempor.*, part. xi, lib. I, cap. 4: « veluti limes et cardo chronologiae est, communisque terminus, in quem chronologorum omnium ratiocinia, sic tanquam ab viarum ambagibus in idem computum deducta conflunt. »

(68. Haec autem Christi nativitate epocha, vel vera est, vel vulgaris. Epochae Christi vera ab eo anno incipit, in quo Christi nativitas reipsa contigit, de quo anno non parvum inter chronologos adest dissidium;